Ergo vt se habent A.b.ad A.e.Ita A.d.ad A.c. & contra, id est, vt tangens semibasis veræ ad tangentem semiaggregati crurũ, ita tangens semidifferentiæ crurum ad tangentem semibasis alternæ:& per consequens, differentialis semibasis veræ, subductus ex summa differentialium semiaggregati, & semidifferentiæ crurum, æquatur differentiali semibasis alternæ, quæ demonstranda suscepimus.

7. *Vnde trianguli Sphærici datis tribus lateribus, habetur triplici modo angulorum quinis.*

8. *Primus modus est, vt latus quoduis (præcipuè quadranti proximum) pro basi statuas. Inde semidifferentiam crurum, & ad semibasim addas, & à semibasi subtrahas: producti & residui Logarithmos addas, hinc auferas aggregatum ex Logarithmis crurum, reliqui bipartiti Logarithmi arcum duplices, & proueniet angulus verticalis, atque ita cæteri.*

Vt trianguli P Z S repetiti, dentur latera P Z 34 gr.& Z S 47 gr.& S P 69 gr. Quærantur anguli, primóque quadranti proximus P Z S angulus, quam S P 69 (latus scilicet quadranti proximum) subtendit. Hoc itaque S P 69 pro basi statuatur. Inde semidifferentiam crurum P Z, & Z S, videlicet 6. 30'. Et adde ad semibasim 34. 30'. fientque 41 aggregatum: & substrahe ab ea, fientque 28. residuum. Logarithmos graduum 41 scilicet 4215044, & graduum 28, scilicet 7561472 adde, fient 11776516. Similiter crurum P Z. 34 & Z S. 47. Logarithmos 5812606, & 3128280 adde, fientque 8941186. quibus ex 11776516 ablatis, fient 2835330: cuius dimidio logarithm. 1417665. respondentem arcum, videlicet 60. 12'. $24''\frac{1}{2}$ duplica, prouenient 120. 24'. 49''. angulus verticalis P Z S. quæsitus. Nec secus angulos reliquos, si libet, inuenire poteris: facilius tamen per 9. cap 5 huius innotescent, quia per 2. sentẽ. cap. 3. sunt certæ speciei.



9. *Secundus modus est, vt latere quouis (præcipuè quadranti proximo) pro basi statuto, Semi-basim & ad semiaggregatum crurum addas, & ab eodem subtrahas: producti & residui Logarithmos addas, & hinc*

& hinc auferas aggregatum ex logarithmis crurum, reliqui bipartiti antilogarithmi arcum duplices, & proueniet inde angulus verticalis: atque ita cæteri.

Vt eiusdem trianguli P.Z.S. (constituti vt in præmissa) semibasim 34. 30' & ad semiaggregatum crurum 40. 30'. adde, fientque 75. & ab eodem subtrahe, fientque 6, quorum 75 & 6 graduum logarith. 3466833, & 2258295 adde, fientque 2292963. Hinc aufer aggregatum ex logarithmis crurum, quod (vt supra) est 8941186, fientque 13988448. Quæ bipartire, fient inde 6994224 antilogarithmus conueniens arcui 60. 12'. $24''\frac{1}{2}$. cuius duplum 120. 24'. 49''. est (vt supra) quæsitus angulus P Z S verticalis. Cæteros licet etiam hoc modo, facilius tamen per 9. cap. 5. huius inuenies angulos. Sunt enim per 2. sent. cap 3. notę speciei.

10. *Tertius modus est, vt latere quouis pro basi posito, differentialem semi-aggregati crurum ad differentialem semi differentiæ crurum addas, & à producto auferas differentialem semi-basis veræ, & proueniet inde differentialis semibasis alternæ: quarum semibasium summa est casus maior, & differentia casus minor, duo distinguentes rectangula, quæ & suas, & ipsius oblati trianguli partes omnes (per nonam cap. 4. & octauam cap. 5. huius) notas reddunt.*

Vt propositi trianguli P. Z. S. datis lateribus vt supra, quærãtur anguli apud basim Z P S. & Z S P. Semi-aggregatum crurum P Z. & Z S. est 40. 30'. Semidifferentia crurum est 6. 30'. Illius differentialis est 1577296, huius verò est 21721209. Quos adde, fient 23298505. Hinc aufer semibasis veræ 34. 30'. differentialem 3750122, remanent 19548383, differentialis 8. 3'. 3''. pro semibasi alterna. adde ergo semibases 34. 30'. & 8. 3'. 3''. fient inde 42. 33'. 3''. pro maiore casu M S. & substrahe 8. 3'. 3''. à 34. 30'. relinquentur 26. 26'. 29''. pro minore casu P M. horum itaq; casuum officio habes duo jam rectangula in M. scilicet P M Z, & S M Z: quæ & perpendicularem Z M, & angulos verticales P Z M, & S Z M, aut, si libet, ipsum P Z S. patefaciunt (per nonam cap. 4. & octauam cap. 5. huius.) Sed his omissis ad quæsitos basis angulos Z P S, & Z S P, redeamus. Casus P M, 26, 26', 29''. iam acquisiti differen